



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput II. Explicantur Evangelici tectus, qui cum superiori doctrina videntur
pugnare, & quæritur in quem diem anno Passionis Domini inciderit
Pentecostes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83707](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83707)

CAPUT II.

Explicantur Evangelici textus, qui cum superiori doctrina videntur pugnare, & quaeritur in quem diem anno Passionis Domini inciderit Pentecostes.

SUMMARIUM.

1. Proponuntur objectiones ex Scriptura sacra.
2. Uique ad 8. solvuntur.
8. Alia obiectio ex festo Pentecostes petita.
9. & 10. Duæ probabiles ad hanc responsiones.

11. Responsio auctoris.
12. Spiritus S. die Dominico illapsus est in Apostolos.

Argumenta
adversario-
rum ex S.
Scriptura.

Qui negant Christum pridie, quam pateretur, celebrasse Pascha legale, aut saltem illud celebrasse inchoata solemnitate azymorum, contendunt auctoritate sacrosancti Evangelii sententiam firmare suam. Principio, inquit, Principes sacerdotum consilium quidem inierant interficiendi Dominum, at dicebant Matth. xxvi. 5. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Verebantur enim ne multi, quos post resurrectionem Lazari in eum credidisse testatur Joannes xii. 11. convenientes Jerosolymis ad solemnitatem Phase, illum, si conjiceretur in vincula, aut duceretur ad mortem, tumultuose à manibus ipsorum eriperent. II. Idem Joannes cap. xiii. 1. ait, Dominum instituisse postremam cenam, *Ante diem festum Paschæ*, ideoque ante vespem lunæ xiv. atque ante inchoatum primum azymorum diem, sive Paschalem solemnitatem, quæ à vespere ad vespem juxta mandatum legis, Levit. xxi. 32. peragebatur. Neque plurimum valet ad argumentum istud solvendum distinctio diei legalis, & naturalis: siquidem in eadem cæna quod Dominus dixit proditori, *Quod facis, fac citius*, cæteri Apostolorum, ex eodem cap. versu 29. putabant, quod dixisset ei Jesus: *Eme, quæ opus sunt nobis ad diem festum.* Non ergo festa dies, in qua nefas erat aliquid emere, cœperat tunc temporis peragi. III. Majorem habent vim verba ejusdem Evangelistæ, cap. xviii. 28. *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, unde aperte sequitur Hebræos nondum meridiano tempore feriæ sextæ Paschalem victimam manducasse. Atque hunc locum sufficere sententiæ nostræ confutandæ non soli scribunt Grotius in hunc locum, Casaubonus Exercit. xvi. in Annal. Baronii num. 24. Ludovicus Capellus in Epicrisi, Josephus Scaliger, alique Notatores; sed etiam Catholicorum do-

R. P. Berti Theol. Tom. VII.

ctissimi, inter quos Petavius lib. xii. de Doctrina Temp. cap. 16. Maldonatus in Evangelium Matth. Zegerus, alii. Quod solet huic argumento responderi, etiam alias victimas in festo azymorum mactatas appellari *Pascha*, ut habetur Deut. xvi. 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo, de ovibus, & de bobus*, non videtur satis esse ad vim argumenti frangendam: primum quia τὸ πάχα absolute, & quod amplius est, φαγεῖν τὸ πάχα, manducare Pascha, unum Paschalem agnum significat, hostiis aliis secusis; idque in eodem cap. xvi. Deut. versu 6. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto, & coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Deinde quia idem inferitur ex præcitato versu secundo, cujus sensus est, *Immolabis Phase, atque præter Phase hostias de ovibus, & de bobus*: quod ostendi potest collatione Hebraici textus & celebriorum Versionum, necnon ex antiquorum interpretatione. Etenim Hebraicus textus non habet, *de ovibus, & de bobus*, sed *וּבְחֵרֶת*.

פֶּסַח לַיהוָה בְּלֵחֶם אֱלֵהֶיךָ צֶאֱן וּבָקָר

Et sacrificabis Phase Domino Deo tuo, oves, & boves. Ita & lxx. καὶ θύσεις τὸ πάχα τῷ Θεῷ σου ἀγνίστα καὶ βίας, nec aliter Samaritanus. Targum verò Onkelos, *Et immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus, & victimam sanctificatam de bobus.* In quibus, si accurate expendantur, victima Paschalis sejungitur ab aliis hostiis. Id verò magis apparebit, si locus iste conferatur cum versu 15. tricesimi capituli libri 2. Deuteronomii, in quo Phase apertissime sejungitur ab holocaustis. Quare Rabbiorum doctissimi ita textum Deuteronomii interpretati sunt, ut oves & boves non accipiantur pro Paschate, sed pro Eucharisticis sacrificiis festo congruis, de quibus ederent ad satietatem, & quæ Hebræis non Pascha dicuntur, sed *חֲגִיגָה* Hbaghigâ. Ita docent Rab, Salomo, Maimonides,

Q 2

nides,

nides, Rasi, Bechai, Abarbanel, & alii apud Simeonem de Muis p. 2. tom. 1. Criticorum sacrorum, pag. 108. Non ergo contemnendum est, ut quidam putant, tertium hoc argumentum. IV. Præterea feria sexta, in qua crucifixus est Dominus, dicitur Joannis xix. 14. *Parasceve Paschæ*, non *Parasceve sabbati*, ut post Bellarminum & Baronium vulgo interpretantur Theologi, sed *Parasceve Paschæ*; & consequenter dies proximus sabbati erat azymorum primus, quo ineunte Pascha mactandum erat, & facto vespere comedendum. V. Eodem capite versu 31. legitur rogatum Pilatum à Judæis, ut crucifixorum frangerentur crura, ac de patibulo tollerentur, ne remanerent in cruce corpora sabbato, *Erat enim* (inquit Evangelista) *magnus dies ille sabbati*. Cur autem magnus, nisi quia duo simul celebrarentur festa, sabbati nimirum, & Paschatis? Postremo in Evangelica historia narratur plura in die Christi emortuali fuisse peracta, quæ fieri non poterant in primo azymorum, celeberrimo ac sancto: armati milites ut Jesum caperent; consilium summo mane initum à principibus sacerdotum & senioribus populi; appellatio ad tribunal Romani præsidis; repetita accusatio; expostulatio & executio supplicii teterrimi; necatorum sepultura; præparatio syndonis, & aromatum pro exanimi Christi corpore. Hæc itaque sunt, quæ videntur evertere sententiam quinque præcedentibus propositionibus, non absque industria, & lare stabilitam.

2.
Responsio ad
primum ar-
gumentum.

Verumtamen nequeunt hæc à priori sententia nos remove. Ad primum enim respondet S. Joannes Chrysostomus Hom. lxxx. in Matth. pag. 680. *Considera valide ipsos timere, non Deum, neque ne majus scelus esset in ipsa Paschæ celebratione tam tetrum facinus facere, sed homines & tumultum: ira tamen inflammata, posteaquam proditorem invenerunt, commutati expectorare non potuerunt, sed in ipsa solemnitate ipsum occiderunt.* Similia Theophylactus in Matth. pag. 157. ubi etiam ingeniose observat passum Dominum, non quando *Judæi voluerunt, sed quando ipse voluit*, quemadmodum decebat Auctorem vitæ sponte pro nobis cruci affigendum. Ad do consue udinem fuisse Judæorum insigniores reos plectere ipso die festo: quod supra diximus, ac modo confirmamus testimonio Maimonidis, scribentis cap. 4. *Hilkot ממרים*. *Usque ad Festum insignem fontem custodiunt, & ipso festo strangulant, quia dictum*

est: Et omnis Israel audiet & timebit, Deut. xvi. 13. Addo etiam, si principes Sacerdotum in priori opinione stitissent, neque procurassent Christi mortem in die præcedente solemnitate Paschalem: quippe eadem die horis pomeridianis immolabatur agnus facto vespere manducandus, ideoque circa meridiem, quando crucifixus est Dominus, jam convenisset Jerosolymam ingens Hebræorum multitudo.

Ad secundum respondeo fuisse quorundam sententiam, quod cœna commemorata cap. xiii. 1. Joannis non fuerit *Eucharistica*, & postrema, sed convivium institutum Bethaniæ: primum quia hoc *ante Pascha* celebratum est, & illa cœna pariter *ante Pascha*: deinde, quia cum exeunti Judæ Christus dixerit, *Quod facis, fac cito*, putabant quidam eum hoc sibi voluisse, Eme, quibus nobis *ad diem festum* opus est; ad cœnam scilicet Paschalem: insuper quia Lucas cap. xxi. 4. narrat prodicionem Judæ, antequam veniret dies prima azymorum, & discipuli Pascha pararent. Illam vero prodicionem Joannes cap. xiii. v. 30. recenset post cœnam, eademque nocte, postquam Judas acceperat *buccellam*, præterea quia incredibile est paucis illis horis, quæ inter cœnam, & Domini comprehensionem in orto interfuerunt, potuisse Judam sacerdotes adire, inire pactum, congregare Synhedrium, turbamque sicariorum expellere, præsertim cum in nocte Paschali unicuique cum familia sua cœnandum esset, & ridiculum sit opinari primarios sacerdotes simul cœnasse, dum interea illorum familiæ domi absque capite residerent: tandem quia in illo cap. Joannis xiii. non est minima mentio, nec 7^o quidem Paschalis cœnæ. Profert hæc argumenta in Horis Hebraicis ad caput 26. Matth. pag. 373. & sequentibus Joannes Lightfootus. Foret utique hæc sententia ad argumentum diluendum aptissima, nisi esset omnino falsa. Falsam esse constat ex unanimi Patrum consensu, & ni fallor, ex ipso Joanne: nam cœnam in Bethania factam *ante sex dies Paschæ*, Martha ministrante, & discumbente Lazaro, scribit idem Evangelista cap. xii. & in cœna, quam narrat cap. xiii. neque Lazarum legimus, neque Martham, neque profusionem unguenti, neque turbam ad videndum Lazarum confluentem, sed Dominum cum discipulis suis, tamquam patrem-familias accumbentem, lavantem suorum pedes, eosque alloquentem longa oratione, documentorum solatiique ple-

3.
Responsio
auctoris ad
2^{um} ar-
gumentum.

plenissima. Adhuc Joannes cenam istam fuisse supremam haud obscure indicat, dum priori versu inquit: *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: ac manifestius post enarratum Domini sermonem usque ad caput xviii. protractum, ubi à cena ad hortum trans torrentem Cedron scribit Dominum perrexisse. Neque argumenta Lightfooti probant quidquam, modò statuamus post cenam Bethaniae Judam profectum ad principes sacerdotum, Magistram vendidisse triginta argenteis, ut narrant Matthaeus cap. xxvi. 15. Marcus xiv. 10. Lucas xxii. 3. & exinde Judam expectasse oportunitatem temporis, quo Dominum traderet: tempus autem istud advenisse Paschali nocte, paratis jam ad horrendum facinus ministris. Atque id ex eodem cap. xiii. Joannis inferitur; versu namque 2. ea verba, *Cum diabolus jam misisset in cor ejus, ut traderet eum Judas*, demonstrant Judam prius de tradendo Domino cogitasse: ea autem, quae subiunguntur versu 30. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo*, innuunt proditorem recta profectum ad principes sacerdotum, confcios sceleris, & in mortem Domini paratissimos, ut accepta cohorte mandaret quod sponderat executioni. Atque ita corruunt omnia argumenta Lightfooti, illo tantum excepto, quod est de cibariis emendis pro die festo, de quo paulo infra, ubi dicam de *Parasceve*. Ad argumentum itaque duo respondent Theologi: primum quod Joannes accipiens sit de die *naturali* & usuali, qui de media nocte ad mediam noctem producit; non de die *legali*, qui protrahitur à vespere in vespere: alterum quod τὸ πρὸ τῆς ἑσπέρης, ante diem festum, positum sit pro προεσπρία, id est pro parte diei, quae praecedit festum, & est pars festi, sicut πρὸδομος est pars domus, προάστειον pars urbis, προλόγιος pars orationis, &c. Sed arridet mihi plurimum responsio ista: Etsi cena Paschalis perageretur facto vespere, & die decima quarta exiret, ac tunc inchoata foret legalis festivitas; Judaei tamen festum Pascharis peculiari titulo incipiebant à media nocte, illudque agebant proxima die quintadecima; quia Dominus percussit primogenitos in terra Aegypti, in noctis medio, Exodi xii. 29. ac Pascha, ut ibidem legitur, erat *victima transfusus Domini, quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens*

Aegyptios. Vide Biblioth. Rabbiniæ tom. 2. pag. 756. Quod ergo ait Joannes, *Ante diem festum Paschae*, idem est, ac *ante mediam noctem*: unde in Graeco legitur simpliciter, *Ante festum Pascha*, πρὸ τῆς ἑσπέρης τοῦ πάχα.

Venio ad tertium paulo difficilius. Perluasum mihi est illis verbis, *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, non agnum significari, sed Hbagigam Paschalem, victimas scilicet ovium, juvenorum, & boum, quae mactabantur die proximè sequente immolationem agni. Primò quia Dominus ita constituit pro Paschali victima quartadecimam diem Nisan, ut si aliquis ea die aut fuisset immundus, aut iter haberet, teneretur differre Pascha ad mensem secundum, ut legimus Numerorum ix. 10. *Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Pphase Domino in mense secundo, quartadecima die mensis ad vespeream*. Si ergo Judaei immunditiam contraxissent, poterant Pascha ad mensem Iyar differre; nec adeo de non contrahenda immunditia ob causam, quam gravissimam existimabant, fuissent solliciti. Deinde, si audire velimus traditiones Rabbiorum, quoniam Pascha immolandum erat statuto tempore, agendum id erat, quamvis tota congregatio, aut maxima pars fuisset immunda; & tantum fas erat differre Pascha ad mensem secundum uni, aut alteri immundo, non verò cœtui atque multitudini. Ita scribunt R. Maimonides, & alii apud Lightfootum in H. H. ad cap. xiv. Marci. Igitur immunditia eorum, qui in Prætorium fuissent ingressi, nullum agendo Paschati attulisset impedimentum. Præterea verissimum est hostias illas ovium & boum nomine *Paschat* appellari, cum in citato textu Deuteronomii xvi. *Immola- bisque Pphase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*, tum in 2. Paralip. xxxv. 9. *Dederunt cateris Levitis ad celebrandum Pphase quinque millia pecorum, & boves quingentos*. Rursus idem probant invictissime textus Hebraicus, ac Versiones aliae perperam nobis ab adversariis objectæ. Primò quia, ut observarunt quoque Rab. Ruben, Simeon, & Levi apud Frischmuthum, non extat in Hebraica lectione litera conjunctionis ך, præfixa dictioni אֶזְרָא, oves: unde apparet τὸ אֶזְרָא אֶזְרָא, oves & boves referri ad dictionem superiorem אֶזְרָא, Pphase. Deest pariter in Versionibus Græcis Kai, &, ante πρὸσφορά. Ulterius

4.
Respondetur
ad trium
difficilius.

basilic. 1111
amr

ubi legimus Num. xxix. 2. *Offeretis- que holocaustum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem*; ac primo Paralip. xxix. 21. *Et obtulerunt holocausta die sequenti tauros mille, arietes mille, agnos mille, aliisque in locis sexcentis, in quibus occurrit eadem syntaxis, ac in illo versu Deuteronomii; agni, arietes, ac tauri non sunt aliquid diversum ab holocausto, sed illud, quod holocausti nomine significatur. Pari ergo ratione in textu illo Deuteronomii, Immolabisque Phasē Domino Deo tuo oves, & boves, non sunt oves & boves aliquid distinctum à Phasē, sed sunt id, quod vocabulo Phasē significatum est; sive, ut eruditi viri observarunt, פסח stat loco generis ad subjectas voces, צאן, & בקר. Insuper eodem cap. xvi. Deuteronomii versu 3. ubi legit Vulgata, *Non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comesdes absque fermento*, habent Hebræi, שבעת*

ימים תאכל עליו מצות Septem

diebus comesdes super eo infermentata.

Dictio autem, על, super hoc in loco idem est, ac עם, cum, ut Exodi xxxv. 22. Isaia vii. 2. aliisque in locis. Victimæ itaque septem dierum azymorum Pascha appellantur, & φαγεῖν τὸ πάχα, manducare Pascha tam de agno, quam de cæteris hostiis propriè dicitur; quemadmodum Act. xii. 4. dies omnes azymorum appellantur Pascha. Ex quibus omnibus constat etiam sanctificatas hostias juvenorum & boum comprehendi nomine Paschatis, tamen si eo vocabulo denotaretur peculiari quadam ratione Paschalis agnus, ac aliæ victimæ dicerentur quoque חגיגה Hagigah: quod tantum inferri potest ex Versione Chaldaica. Atque his diluimus objectionem tertiam, simulque Versionem Vulgatam in xvi. capite Deuteronomii explicavimus, & vindicavimus.

5.
Responsio ad
4tum.

Quarta objectio, tamen si Marcus Antonius de Dominis P. 2. de Republ. Eccl. n. 268. reprehendit doctissimum Bellarminum, aliosque explicantes Evangelicum textum de Parasceve sabbati, recte ab insigni ævi nostri Theologo de Re Sacramen. pag. 397. dicitur vitiligatio. Communem quippe responsionem confirmat S. Marcus, dum cap. xv. 42. ait: *Erat Parasceve, quod est ante sabbatum.* Nunc ego dabo operam, ut oppositæ argumentationis appareat inanitas. Principio quemadmo-

dum tradunt periti rituum Hebraicorum, ad Pascha nulla erat Parasceve, id est, ciborum præparatio: nam utique Hebræi feria sexta post meridiem parabant cibaria, mensasque sternebant, quasi statim prandendum foret, aut coenandum; sed hoc non faciebant die præcedente festum Paschatis, quoniam die prima azymorum ex cap. xii. Exodi vers. 16. licitum erat facere ea, quæ ad vescendum pertinent. Cum ergo Pascha nullam Parascevem habeat; feria sexta, qua crucifixus est Dominus, dicta est παρασκευή τοῦ πάχα, Parasceve Pascha, quod simul esset προσάβατον, Parasceve sabbati, & Pascha, eo ferme pacto, quo à nobis dicitur Dominica Paschatis, aut Pentecostes dies illa, in quam simul incidunt eadem festa, atque dies initialis hebdomadæ. Adhæc licet origo huius vocis Parasceve sit à parandis cibariis; illius tamen usus apud Hebræos fuit eandem vocem usurpandi pro sexta quacunque feria: unde in antiquo libro Berescit Rabba, par. ii. legitur singulos hebdomadæ dies propriis carere nominibus, id est, primam, secundam, tertiam, quartam, & quintam feriam, præter Parasceven, & sabbatum: idque negare non est ausus Exercit. xvi. num. 15. in Baronium Isaac Casaubonus. Quidam Scholasticorum cum Witalio pag. 69. ajunt etiam Arabes sextam feriam eo vocabulo nominare: quod de Arabibus antiquis verum esse testantur viri in illa lingua doctissimi: nam post debellatos Arabes à Mahumede, sextam diem non Parasceven dicunt, sed *Algiumam*, id est, congregationem. At ergo Evangelista Parasceve Pascha, ad significandam sextam feriam inter septem dies azymorum; quos omnes appellatos Pascha dictum est supra. Dato insuper etiam Pascha suam habuisse Parasceven; cum Joannes appellavit Pascha etiam victimas Hagigas, maciandas prima die azymorum, & Paschali nocte transacta, dixisset coherentem diem Veneris Parasceven Pascha ob præparationem victimarum istarum, non ob præparationem agni maciati jam, & comesti. Abunde his revincitur Spalatensis, necnon Gerardus Wossius, qui in dissert. 2. de tempore Dominicæ Passionis num. 12. pag. 85. scribit de his verbis, *Erat autem Parasceve Pascha.* „Quem locum, uti & priores, mire torquet Toletus in cap. xiiii. Joan. Vult enim παρασκευήν τὸ πάχα dici, non ratione Paschatis, sed sabbati. Ac similiter in idem caput Ribera, inque Annalibus Baronius.”

Oppositio

6. **Oppositio quinta** facillimæ solutionis respondetur est: dies enim sabbati incidens in secundam azymorum erat dies, qua populus adibat templum cum victimis pacificis, quas Hebræi appellant *Corban Ranzab*, quasi comparitionis munus, & de quibus interpretantur ea verba Exodi xii. 15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Eadem quoque die offerebatur, ut diximus superiori capite prop. 5. spicarum manipulus, de quo Levitici xxiii. 11. & quoniam dies festi, in quibus populo cum holocaustis & victimis coram Domino erat comparandum, dicebantur *Magni*, ut constat ex cap. vii. Joannis versu 37. idcirco de sabbato incidente in diem azymorum secundum dicitur cap. xix. 31. *Erat enim magnus dies ille sabbati.*

7. **Quæ** obijciuntur lexio loco, ita diluenda sunt. In primis fatemur multas legis transgressiones factas à Principibus Sacerdotum, ut Iesum perderent, at plura egisse ministerio Gentium, ne viderentur tam aperte violare solemnitatem: cujus gratia dixisse, fas sibi non esse quemquam interficere, ait Augustinus, & à nobis supra probatum est. Percurramus deinde singula. Christo non semel mortem diebus solemnioribus intulerunt, Joannis x. 31. in festo Encœniorum, & in ipso porticu Salomonis; & in festo Tabernaculorum, viii. 59. Altera die, *quæ est post Pasceven*, id est, die sabbati, & ex adversariorum sententia die sabbati simul & Paschatis, convenisse Principes Sacerdotum, & Phariseos ad Pilatum, rogantes, ut poneret milites ad custodiendum sepulchrum, & facta sibi à Præside facultate, ipsosmet apposuisse custodes, munivisse sepulchrum, signasse lapidem, narrat cap. xvi. 62. & 66. sanctus Matthæus. Insignes reos damnatos in solemnioribus diebus, dictum paulo supra ad primum: mortem verò Christi peractam postulanti bus quidem Judæis, sed à militibus Præsidis, manifestum est omnibus: atque his incedere armatos, ducere ad supplicium, & necare quem iudex damnaasset, indicabat officii ratio, non prohibebat æquitas religionis. Ipsi Judæorum Rabini docent tam in sabbato, quam in festivitatis aliis sepelienda cadavera: & quavis Maimonides apud Casaubonum asserat in sabbato reum occidi non posse; hoc tamen nec ipse negat de prima die azymorum. In hac præsertim posse mortuum sepeliri, atque exerceri quidquid ad funus pertinet, emi ac parari sindones, haberi curationem cada-

veris, & pollincturam, omniaque ad officia pietatis licite emi & vendi, scribit Rab. Jacob Ben Juda in libro *Agur*, num. 651. ubi prolixè docet quæ fieri soleant, ac possint, *ביום טוב ראשון*, *Bejom tou riscion*, in die primo solemnis festi. Tobiam in die festo Domini sustulisse de platea unum ex filiis Israel jugulatum, ibique jacentem, ut illum in silentio proximæ noctis sepeliret, legimus cap. ii. 4. 5. facti libri nomine ejusdem Tobie inscripti. Appensum in patibulo sepeliendum eodem die, præcipit Deuteronomii caput xxi. 23. Atque his proposita sex argumenta penitus refutantur.

Accedit septimum, quod Scaliger lib. v. de Emendat. temporum putat insolubilem, petum ex festo Pentecostes. Celebrari enim debebat festum istud post quinquaginta dies enumeratos à secunda die azymorum, sive à decima sexta mensis Nisan, ut constat ex Levit. xxiii. 15. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomada septimæ, id est, quinquaginta dies; & sic offeretis sacrificium novum Domino.* Atque alteram illam diem statutam pro ritu manipuli, fuisse decimam sextam mensis primi, tradit quoque Josephus in iii. Antiq. 10. pag. 177. *τῇ δὲ δευτέρῃ τῶν ἀζύμων ἡμέρῃ, ἔστη δ' ἐστὶν αὐτῇ ἡ δεκάτη, secunda verò azymorum die, est autem illa decima sexta.* Hisce quinquaginta diebus enumeratis, si Christi emortalis fuit azymorum primus, & quintusdecimus Nisan, necessum est, ut anno illo Pentecostes, sive dies quinquagesimus inciderit in sabbatum. At repugnat id veteris traditioni, juxta quam Pentecoste tunc incidit in Dominicam, & in Dominica circa horam tertiam Spiritus sanctus in Apostolos illapsus est. Illo igitur anno secunda azymorum dies fuit Dominica, & consequenter prima dies azymorum, & Judæicum Pascha, non sexta fuit feria, sed sabbatum.

Huic argumento duæ solent adhiberi probabiles responsiones. Prima, anno Passionis Christi Pentecostem revera in sabbatum incidisse, eodemque die Spiritum sanctum illapsum super Apostolos. Placet hæc responsio recentiorum compluribus, illamque inconcussam demonstrare nititur Jacobus Hyacinthus Serry Exercit. 62. Ubi verò illi opponitur contraria traditio; respondet hanc esse fictitiam, & licet pro hac adstruenda

8. Obiectio
9ma ex festo
Pentecostes
petita.

9. Dne probabiles respon-
siones.

da laudentur Clementis Constitutiones, sermo S. Augustini 154. de Tempore, & S. Leo sermone de Pentecoste; Constitutiones tamen Clementi attributas ab eruditis omnibus rejici, tanquam pseudepigraphas; sermonem quoque præcitatum in castigatissima Benedictinorum editione rejectum in appendicem suppositorum, ideoque solum superesse Leonem Magnum, qui ut cadente quinto sæculo vixit, Traditionem ille unus non facit. Addit Carolus Witasse pag. 72. sanctum Leonem scriptorem esse baud ita accuratum.

Responsio altera est, quinquaginta dies enumerandos fuisse à secunda die azymorum, si hæc non incidisset in sabbatum; nam si in sabbatum incidisset, ut contigit anno Passionis Domini, erant supputandi à feria prima, id est, à Dominica: quod innuunt Versiones aliquæ supra productæ, quæ Levitici xxiii. 15. habent *post diem festivitatis*, seu, *à crastino cessationis*. Atque hæc responsio tradita ab Eminentissimis viris, Bellarmino, & Baronio, est inter Theologos valde communis; nec multum quatitur testimonio Josephi, utpote quod potest accipi de ordinaria communique ratione temporum, non de peculiari, cum scilicet Paschæ inhærisset sexta feria. Has duas tantum responsiones censeo probabiles; nam qui reponunt festum Pentecostes continuatum fuisse in septiduum, nec apparere ex Act. 2. 1. de quo die accipiendus sit sanctus Lucas, apertissime refutantur tum ex Græco textu, in quo *dies* extat singulari numero, *ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς*, inesse complementum diem Pentecostes; tum ex numeri complemento; tum ex Pentecostes vocabulo simpliciter posito. Qui etiam excludunt à numero quinquaginta dierum secundum azymorum, viam ineunt commentitiam & insolitam: & demum qui censent in Actibus Apostolorum non commemorari Pentecostem Judaicam, facile revincuntur ex Act. xx. 16.

10.
Quænam
preferenda?

Verum quænam duarum illarum responsionum est præferenda? De priori subscribendum BENEDICTO XIV. de Festo Pentecostes num. 496. falsissimam esse; quoniam non est verisimile S. Leonem Magnum, tametsi floruerit quinto sæculo, scripsisse Pentecosten incidisse in Dominicum diem, nisi id divulgatum fuisset in traditionibus Romanæ Ecclesiæ, quas hac in parte etiam Novatores sequuntur, sicuti demonstrat ex Usserio, & Pearsonio sapientissimus

& eruditissimus Pontifex. His addo supposititias quidem esse Constitutiones Clementis, necnon apocryphum serm. 154. de Tempore; ex Apocryphis tamen scriptis erui traditionem temporum, quibus eadem scripta prodire: cumque Constitutiones Apostolicæ laudentur ab Eusebio H. E. lib. 3. cap. 25. ab Athanasio in Epistola Festali, & ab Epiphanio H. XLV. num. 5. & H. LXX. num. 10. qui longe præcesserunt S. Leonis ætatem, consequitur hunc non fuisse illius traditionis auctorem primum, sed illam accepisse à majoribus. Quod insuper de Pearsonio & Usserio ait Benedictus, confirmatur ex Scaligero loco paulo supra citato, ex Lightfooto in H. H. ad cap. 2. Act. ex Samuele Bagnio ad an. xxxii. num. 50. ex Joanne Frischmuth præcit. disser. n. 21. qui etiam laudat Bochartum, aliosque Protestantium, hac in re criticis nostris æquiores. Tandem ubinam sententiæ illius venditores legerunt Spiritum sanctum in die sabbati descendisse? Est tamen in hac sententia aliquid veri paulo post detegendum.

Alteram responsionem supra à nobis probabilis dicta est, ac talis censetur eo loci à BENEDICTO XIV. num. 503. Opponent quidem adversarii testimonium Rabbiorum asserentium manipulum primitiarum demessum die quoque sabbati: sed hæc traditio universalis non est. Permulti enim Hebræorum ea verba Levit. xxiii. *ab altero die sabbati*, non accipiunt pro die consequente Pascha; sed consequente ordinarium sabbatum. Diximus non adversari hanc interpretationem Hebraico textui habenti, *בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי*, *A crastino cessationis*. Legit & Chaldaeus, *Post diem festivitatis*; atque in nonnullis exemplaribus Græcis scriptum est, *ἐν τῇ ἐπείκλειον τῆς πρώτης τῶν σαββάτων*, *à die postriduano primæ diei sabbatorum*. Nonnullos autem Hebræorum huic sententiæ adharere, constat, inquit Wittassius, ex libro *Menachot*, ex Maimonide in *Tamidin* cap. 7. Seldeno de Anno Civili, & Calendario Judæorum, & Lightfooto ad cap. 2. Act. Apostolicorum. Defendi ergo potest, Pentecostem Judaicam anno Passionis Christi in diem incidisse Dominicum, eodemque die illapsum Spiritum Paraclitum in Apostolos.

Sententiâ meâ est in utraque responsione aliquid veri, & aliquid falsi. Verum est quod tenet prima, Judaicam Pentecostem anno illo incidisse in sabbatum, & falsum est in sabbato descendisse

21.
Opinio
40-
storis.

disse Spiritum Domini : & verum est, quod tenet secunda, Spiritum sanctum descendisse die Dominico, falsum autem descendisse in festo Pentecostes Judaica; quod cum breviter explicavero, solutum erit argumentum, & vindicata simul Romana Ecclesia, de die adventus Spiritus sancti, Traditio. Ac primum de die Judaica Pentecostes constat ex dictis superiori cap. prop. 5. ubi diximus sabbato non fuisse vetitam manipuli messonem. Confirmatur ex Josepho, qui asserit demessum manipulum die xvi. Nisan, nullo temporum productio discrimine. Idem patet ex Graecis versionibus nuper laudatis: quarum planior sensus est, *A postridie primi festi, id est Paschatis*; non à postridie festi secundi, hoc est, sabbati; non enim inquit, *A die postriduano sabbatorum*, sed, *die postriduano prima diei sabbatorum*. Sequitur omnino idem ex doctrina eorum, ad quos pag. 74. Witallius provocat; nam in *Menachot* fol. 65. opinio eorum, qui censebant manipulum non esse metendum sabbato, tribuitur quibusdam *Baitbusais* (Sadducæis scilicet) & consensu Doctorum omnium decernitur metendum esse. Vide Biblioth. Rabbinicam tom. 2. pag. 762. Maimonides in libro, quem inscripsit, *באר מוסי* Porta Moysis, pag. 264. edit. Oxoniae docet oblationes cœtus nunquam differendas esse, & sequenti pagina ait diem agitationis manipuli fixum & invariabilem esse diem *Azymorum secundum*. Idem pag. 278. se auctorem dicit Tractatus *Menachot*, in quo refellitur, ut dixi, opinio *Baitbusæorum*. Joannes Lightfootus in Act. Ap. pag. 692. edit. Roterodami citato libro *Menachot* concludit, *Hoc igitur anno, in quo jam versamur, illo scilicet, quo Christus ascendit, & Spiritus sanctus descendit, oblatio manipuli erat sabbato*: quod etiam probat ex Rab. Ismaele, aliisque in *Ministerio Templi* cap. xiv. sect. 2. pag. 742. Seldenus denique citato libro cap. 7. pag. edit. Londini 31. concludit receptissimâ apud Hebræos Glossâ ad Levit xxiii. 11. *ממחרת שבת ממחרת יום טוב הראשון של פסח* *A crastino sabbati, id est, à crastino diei festi primi Paschatis*. Quæ si dictis supra addantur; videtur nobis probabilius Pentecostem Judaicam incidisse anno, de quo loquimur, in diem sabbati; quamvis sententia opposita non sit præsidio penitus destituta. Nec multum habent roboris Versiones, quæ Hebraica verba reddiderunt, *A crastino cessationis*, *R. P. Berti Theol. Tom. VII.*

sive, *diei festi*; quoniam *sabbatum*, quo vocabulo significatur *cessatio*, aut *requies*, usurpatur apud Hebræos ad significandum quodcunque festum: & revera in *A crastino sabbati* nihil aliud demonstrat, nisi septem hebdomadas computationem suam incipere à die, quo elevabatur manipulus, id est, à *die secunda azymorum*, & *decima sexta mensis Nisan*, ut inquit prælaudatus Maimonides in Tract. *Tamidin*, & *Mosapbin* cap. 7. *יום שני של פסח, שבת אדם שלשה עשר ביוסין* *secunda die Paschatis, quæ est sexta decima mensis Nisan*. Vide Josephum de Voisin lib. de lege divi. a cap. 44. pag. 622. edit. Parisiensis.

At Spiritum sanctum in Apostolos ilapsum die Dominica, sive postriduano Pentecostes Judaica, infero primum ex Traditione, quam supra vindicavi adversus recentiores Criticos: neque enim aut Scriptor Constitutionum, aut Auctor sermonis 154. inter Augustinianos de Tempore, aut S. Leo serm. 1. & 2. de Pentecoste asseruerunt advenisse Spiritum Paracletum quinquagesima die ab elevatione manipuli, sed quinquagesima die à resurrectione Domini: quod verissimum esse profiteamur. Deinde verba Actuum 11. 1. *Et cum compleretur dies Pentecostes*, denotant diem primum Pentecostes tunc fuisse completum: reddunt quippe hunc sensum Græca verba: *Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ἡμέραν τῆς πεντεκστῆς, in esse completum diem Pentecostes*: quod tam bene dicitur ubi præsens advenisse monstratur, quàm ubi præteritum præterlapsum est; sicut apud Lucam 1x. 51. similis phrasis significat tempus non nimis remotum à termino, & Gen. xxv. 24. tempus perfectum jam, & completum. Hoc autem designari Act. 2. agnoverunt Syrus, & Arabs interpretes, qui tom. v. Polyglot. pag. 52. reddidere, *Cum igitur impletus esset dies Pentecostes*. Adhæc Christus in adimplendis figuris antiqui testamenti, ut ostenderet transitum de umbra ad veritatem, quod præfigurabatur typo, complexit in die sequenti. Ita agnus mactabatur die xiv. & Christus immolatus est die xv. ac manipulus ἀπαρχῆς, *primitiarum*, offerebatur die xvi. & Dominus factus in resurrectione, ut ait Apost. 1. ad Corinth. xv. 20. ἀπαρχὴ τῶν κοιμημένων, *primitiæ dormientium*, resurrexit die xvi. Nisan. Sabbatum quoque Christianum non fuit institutum sabbato Judaico, sed die Dominico. Quid ergo mirum, si con-

12.
Die Domini-
ca est in Apo-
stolos illa-
pſus S. Spi-
ritus.

secrare

secrare voluit adventus Spiritus sui, non Pentecostem Judaicam, sed diem insequentem, qui deinceps futurus erat Pentecoste Christianorum? Postremo, quando descendit Spiritus sanctus, non erant Apostoli in templo, sicuti fortassis erant cum Judæorum cœtu transacta die, horis præsertim matutinis jugi sa-

crificio destinatis; sed omnes pariter selebant domi, celebrantes diem prius resurrectione Domini, & tunc adventu Spiritus sancti consecratam; quorum nos exemplo atque instituto Pascha, & Pentecosten colimus, alia die à Paschate, & à Pentecoste Judæorum.

CAPUT III.

Demonstratur Dominum Jesum in suprema cœna observasse præcipuas legalis Paschatis ceremonias.

SUMMARIUM.

1. Eadem die Christus Pascha celebravit, qua Eucharistiam instituit.
2. Quinam convenerant ad comedendum Pascha?
3. & 4. Quomodo fuerit Pascha peractum?

5. Pro sententia Augustini melius percipienda ponuntur quædam notanda.
6. Variæ ex mox dictis sequelæ notatu dignissimæ.
7. De fine cœnæ Paschalis.

1. Eadem die Pascha Christus celebravit, qua Eucharistiam instituit.

QUæ nuper diximus de abrogatione ac translatione festorum Judaicorum, ostendunt quàm ineptè ratiocinentur, qui ex conditione typi inferunt eadem die mactatum mysticum agnum, & Dominum crucifixum. Sanè id sentientes refutantur ex quo Dominus in veterum impletione signorum non semel statutum diem transiit in proximum; si tamen ad diversam diem pertinere dicenda sunt institutio Eucharistiæ, & crucis cruentum sacrificium: quorum utrumque evenit intra limites ejusdem legalis festi. Cum etiam in agno typico cœna subsequeretur immolationem: Christus postmodum passurus immolationi præmisit cœnam, si immolatio accipitur, non pro fractione panis, quem vertit in corpus suum, sed pro morte corporis sui, quod suspenderunt in ligno. Quod si asseramus mactationem agni utrumque præsignasse, sacrificium scilicet crucis, & Eucharistiam, ut q. 74. art. 6. demonstrat S. Thomas; non solum in die legali, verum etiam in naturali, figuræ antiquæ respondere invenietur antitypus. Indubitatum est ergo ea in nocte, qua Eucharistiam instituit, Dominum Jesum celebrasse commune Pascha: atque id confirmat observatio rituum Judaicorum, de quibus in præsentia breviter sum dicturus.

2. Quinam convenerant ad Pascha comedendum?

Principio ad comedendum Pascha conveniebat cum familia rector domus ac senior, assumens vicinos, si non potuissent sufficere domestici sui, ad esum agni, Exodi xii. 4. Numerus Pascha-

lium, ut dicebantur, *Societatum* ex Josepho lib. vi. de bello cap. 9. constabat saltem convivis denis: instituebatur convivium nocte, & nemo Pascha manducabat, priusquam tenebræ obducerentur, ex eodem cap. Exodi versu 8. concordibusque Rabbiorum traditionibus in Thalmud, de *Pesach*, perek. 10. Sternebantur quoque lecti, parabatur cœnaculum, coquebantur cibi; ut postulabat Paschale convivium, & imminens solemnitas azymorum. Hæc omnia in suprema cœna servasse Dominum, narrant Matth. xxvi. Marcus xiv. & Lucas xxi. Discipuli paraverunt Pascha, invenerunt cœnaculum stratum, Jesus una cum duodecim discubuit, cœnavitque factò jam vespera.

Hoc deinde intercessit discrimen inter Pascha primum Aegyptiacum, & alia posteriorum temporum peracta Jerusalemis; quod illud celebraverunt Judæi stantes, calceati, accincti renibus, & ad iter habendum parati, utpote ex domo servitutis profecturi; sed, ut scribit Aben-Ezrae in cap. 12. Exodi, cui consentiunt Rab. Salomon in *Pesach* perek 10. *Misnab*, omnesque Commentarii, aut Rituales libri Rabbinici, reliqua Paschata edebantur à Judæis jacentibus & decumbentibus, quasi in signum domini & libertatis. Dominus pariter discubuisse legitur, Matth. xxvi. 20. cumque Joannes recubuerit in ejus gremio, atque ad pectus, Joan. xxi. 25. & xxi. 20. necessum est, ut Jesus mensæ incubuerit capite per cubitum sinistrum

3. Quomodo fuerit Pascha peractum?